

X 1304877

V C
1449



Handwritten text, possibly a page number or title, partially visible on the right edge of the page.



QK. 16, 14.

V c
1449

DISSERTATIO
DE
PLAGIO KAUFUNGIANO

ANNO M CCCC LV. COMMISSO

Quam
Indultu Magnificæ Jctorum Facultatis
SUB PRÆSIDIO

Nobilissimi, Excellentissimi Viri,

DN. GOTTFRIDI SVEVI,
Jcti, & Antecessoris in Academia Wittebergensi

Celeberrimi, Curia Electoralis, Facultatis Juridicæ, Scabinatus,
Consistorij Ecclesiastici, & Dicasterij Inferioris Lusatia
Assessoris Eminentissimi,

jam
DECANI,

Patroni ac Præceptoris sui Opt. Max.

Ventilandam Exhibet

JOHANNES-GEORGIUS PASCHA.

Dresda-Misnicus.

Ad Diem Decembr.

In Auditorio Jctorum.

WITTEBERGÆ

Typis Röhnerianis Anno M DC LV.

100

DISSERTATIO

PLAGIO KAL-

FUNGIANO

ANNO M. CC. CC. LV. COMMISSO

Indolito Magnifico I. C. in Facultatis

Sub Praesidio



Patroni ac Praeceptoris sui Op. Max.

Venerabilissimi Patris

JOHANNES-GEORGIIUS PASCHA.

Ordinis Praedicatorum

in Halle

In Auditorio Ieronimo

WITTEBROG

Typis Römischen Anno M. DC. LV.



I. Crimen laesæ majestatis non committitur in Augustam, nisi ex odio in ipsum Principem concepto aliquid attentetur.

II. Adulterij reus est, quisquis alterius sponsam corruperit.

III. Ob pœnitentiam assassinatoris, veletiam assassini ante perpetratum scelus pœna ordinaria in mitiorem recte mutatur.

IV. Magicis artibus etsi quis prodesse velit, pœnas Legum incurrit.

V. Ex delicto familiae suæ obligatur Paterfam. puta si culpâ familiae incendium ortum sit circa officium commissum.

VI. Parricidio vindicando obstat præscriptio XX. annorum.

VII. Notarius non committit falsum, si instrumentum cõficiat nocturno tempore, & scribat in instrumento, hoc vel illo die actum esse.

VIII. Legatus, si sordide se gerat, reus fit criminis repetundarum.

IX. Com-

IX. Committitur crimen annonæ, si quis cõemptas merces
annonarias supprimat, ex raritate & inopia carita-
tem affectans.

X. Qui tabulam æneam, leges, formamve agrorum, aut
aliud quid continentem refigit, vel quid inde mutat,
Lege Juliã peculatus tenetur.

XI. Qui novum vectigal instituit, Lege Juliã de ambi-
tu tenetur.

XII. Qui Principum bona suo periculo administrant, &
fraudulenter quicquam detrahunt, rei fiunt L. Ju-
liæ de residuis, & de furto quoq; tenentur.

TANTUM!



JOHANNIS - GEORGII PASCHÆ
DE
PLAGIO KAUFUN-
GIANO

DISSERTATIO

CAPUT I.

De Filijs Principum.

- | | |
|---|---|
| I. Liberi firma Imperij muni-
menta. | publ. est, si adsint filij legi-
timi & naturales. |
| II. Quos Principes olim ado-
ptare solebant in defectu a-
liorum. | IV. Qui summâ curâ educandi. |
| III. Sed magis ex commôdo Rei. | V. Principes dolent, si amit-
tant eos. |
| | VI. Ratio instituti. |



I. Raculum est, judice Lipsio l. II. Civ. doctr. cap. IV. non classes, non legiones perinde imperii munimenta esse, quàm NUMERUM LIBERORUM Tacit. IV. Histor. Prava enim aliorum spes cohibentur, si successor non sit in incerto, quoties imperaturus omnibus non eligitur ex omnibus.

II. Hinc videmus omni modo Principes anniti, ut hæres Imperij, & quidem ejusdem spei plures extent, ne in uno capite salus & fundamenta vertantur, noverintque, qui spei improbæ accinguntur, non cum uno omnia labefactari, nec de fore facinoris cœpti vel perpetrati ultorem, Cyriacus Lentul. in Augusto suo. Hoc intuitu in defectu filiorum naturalium & legitimorum in Rep.

A

Roma.

Romana toties adoptatos legimus futuros Imperatores, Bodin. I. de Rep. IV. Adoptio enim est pedissequa naturæ. In regnis à Populo delatis id non licere H. Grotius existimat lib. II. de I. P. & B. cap. XVII. n. XVI. Unicus Galba securus pacatum Imperium tenere potuisset, nisi Pisonem sibi adoptando successorem designasset, Henr. Zolner de Regis Romanor. Election. th. V. lit. c. Confer Cyriac. Lentul. d. loc.

III. Sed magis Resp. æterna constituitur, si nunquam deficient Filii ex justo matrimonio suscepti. Hinc tot Principum suspiria, tot Subditorum vota pro incremento Familiarum Illustrium. Exemplis non destitutor, quæ à duobus vicinis Principibus mutuari possem. Sed hæc in omnium ore, ut fatius sit devoto silentio summæ eorum felicitatem, & cum ævo duraturum nomen prosequi. Anglum miror, qui Patrem Patriæ infami supplicio non ita pridem è medio sustulit, ejusq; Filios, Regnorum Hæredes, exules fecit. Fortean si daretur ipsi quoq; Filiorum copia, parem sibi parricidii maculam denuo aspergeret, cum plagium in illis committere periculosum foret. Nihil est iniquius, quàm aliquem hæredem paterni odii fieri. Sed odiosa est veritas, ne dicam capitalis!

IV. Germani Principes suos, eorumq; Liberos non ita tenere amant. Quod si enim illos, à quibus amantur, interficerent, quid hostibus eventurum putares? Minimè digna vox, cui adjiciatur, eam ex Pisisstrati ore mansisse, Val. Max. lib. V. c. I. Principes interim, ut subditis ex voto consulant, in educandis successoribus nil quicquam omittunt, monente Joh. Mariana lib. II. de Rege & Regis institutione cap. I. ne Commodos, aut Wenceslaos
post.

post se relinquunt, & ingemiscant: *Nullam publicum pondus regno gravius, nulla privata sarcina gravior, quam filius, cæsi nulla charior*, Franc. Petrarch. lib. II. de R. U. F. dial. LXXIIX. Ita Princeps in subditos transfundit mores, ut liberis propriis summâ curâ educatis legibus vix opus sit. Tanta vis est educationis, Nicol. Machiav. I. disc. III. Henning. Arnif. lib. I. Doctr. Polit. c. XIIIX.

V. Sed quo magis Principes successoribus suis delectantur, eò magis amissorum desiderio excruciaci constat, præcipuè si plagiarii viventium filiorum miserandas illis infligant orbitates, L. fin. C. ad L. Fab. de plagiar. Exemplum suppeditat Fridericus II. Elector Saxonæ, placidissimus Princeps, cujus Filios, ERNESTUM, & ALBERTUM ante duo secula miles plagio abduxerat. Quantum dolorem concepisse conjicies Serenissimum Patrem ereptis hisce munimentis? Alexander M. apud Curtium lib. VI. queritur: *Orbitas mea quod sine liberis sum spernitur.* Quid Electorem conquestum esse putaverim? Verum, Dei gratiâ, quos amiserat recepit Filios, quorum illum successorem postea habuit, hic Frisæ Gubernator constitutus ob res fortissimè gestas animosi, dexteræ Imperii manus, & Germani Rolandi cognomen meruit. Ab hoc ipso ALBERTO moderni Saxonæ Electores potentissimi originem suam derivant, ut apparet ex Genealogia Electorum & Ducum Saxonæ, quam exhibet Joh. Micrælius lib. III. Syntagm. historiar. Mundi sect. XII.

VI. Ego verò partium mearum esse duxi de hoc Plagio audacissimo præsentem Dissertationem conscribere, partim in terrorem eorum, qui Principes omnes sublato velunt, partim in solatium piorum Principum, qui Dei præsidio tuti ab omnibus insidiis, quibus obno-

xium esse solet Imperium. De Pace Religionis ante
centum annos summo Statuum Augustanae Confessionis
desiderio promulgata Svevi, Cranii, Benbellonæ, Syrin-
gii verba faciant, inter quos ego vix hiscere ausifim. Plagi-
um illud anno M CCCCLV. commissum (ut ad aliud se-
culum me convertam) amplam satis scribendi materiam
mihi hac vice subministrat.

CAPUT II.

Plagium unde dicatur, & quid sit.

- | | |
|---|---|
| I. <i>Via Etymologia.</i> | VIII. <i>Ab alienante accipiunt.</i> |
| II. <i>Vox plagij Origine Græca.</i> | IX. <i>De plagio quoq; servorum
hic agere convenit.</i> |
| III. <i>Definitio Plagij.</i> | X. <i>Quod committitur in servo
alieno.</i> |
| IV. <i>Plagium est crimen publi-
cum.</i> | XI. <i>Imo & in proprio.</i> |
| V. <i>Expeditur in inscriptione.</i> | XII. <i>Intellectus S. IX. Inst. de
oblig qua ex delict. nascun-
tur.</i> |
| VI. <i>Hodie reia aliter cautum.</i> | XIII. <i>Concursus furti & Plagij.</i> |
| VII. <i>Criminis hujus rei sunt,
qui scienter liberum homi-
nem invitum alienant.</i> | |

I. Antistium Labeonem accepimus cum omnis
doctrinae praesidiis instructum ad Jus Civile cognoscen-
dum, explicandumq; accessisse, tum verò innumerabiles
ejus velut nodos non alià re magis, quàm vocabulorum
originis (Græci *ετυμολογία*, Plautus veriverbium appel-
lant) diligenti investigatione expeditisse. Testem habeo
Scipion. Gentil. lib. singulari Originum ad D. Idem mihi
faciendum erit in hac materia plagii, cum verborum pri-
or, rerum potior sit interpretatio, Joh. Oldend. tr. de usu-
capon, & praescript.

II. Dictam est plagium, autore Suida, quod fiat
πλαγίως, id est *δολίως*, vel, ut Isidorus contendit, à Græca
vocula

vocula *πλάγιον*, quod obliquum notat, quia obliquis acti-
bus & dolis servi, aut liberi intercipi solebant, Petr. Theo-
doric, Disp. IX. Colleg. Crimin. th. VIII. lit. A. Joh. Bor-
cholt. Comm. ad Instit. de Publ. Judic. §. X. Harprecht. de
Crimin. peculatus, plagii, ambitus, &c. Fr. Duaren. ad D.
de plag. c. I. Ultimam derivationem amplectitur Joach.
Mynsing. Schol. ad Inst. de publ. judic. §. X. neq; à plaga
plagium dici autumat, (accedit D. Ludvvell Disp. fin. ad
Instit. th. IX. lit. F.) quod verum est, frustra dissentiente
Azone in summ. Cod. ad L. Fab. de plagiar. Aliud est pi-
lagium, Hug. Grotius III. de J. P. & B. cap. VI. num. XXIV.
Græcis plagium *ἀνδραποδισμός* dicitur ab *ἀνδραποδίζεν*.

III. Sequitur definitio. Ex his quippe tribus
perfecta cognitio paratur, ut in Epinomide Plato, si
substantia, si nomen, si definitio cognoscatur. Substan-
tiam intelligo sive essentiam, quâ quæq; res est, nomen
quo notatur, definitionem, quâ quid sit explicatur. Ita
mecum sentit Scipio Gentilis libr. singul. origin. Johan-
ni Borcholten, plagium est *suppressio hominis liberi, vel servi*,
Comm. ad Inst. de publ. judic. §. X. ut & Thom. Linde-
manno Disp. ult. Exerc. Justin. th. LXVI. D. Henr. Hahn.
Obs. ad D. de L. Fab. de plagiar. eandem definitionem
amat, nisi quod suppressionem dolosam velit. Copiosior
in describendo plagio Petr. Theodoric, Disp. IX. Colleg.
Crimin. th. IIX: *Plagium est crimen publicum, ab eo, qui sciens
dolo malo liberum hominem invitum alienat, ab alienante accipit,
aut supprimit, sive celat, vel servo alieno, ut à Domino fugiat, per-
suadet, aut eum domino invito vel inscio suscipit & celat, vel pro-
prij servi fugam vendit, commissum.* Singulæ voces explicari
merentur.

IV. Inter Interpretes haud convenit, an crimen
plagii ex ipsa Lege Fabia statim, num ex constitutione
demum

demum Impp. Diocletian. & Maxim. judicij publici factum sit? Prius Petro Theodor. placet Disput. I. Colleg. criminal. th. XIII. lit. G. In libris quippe Pandectarum inter titulos publicorum judiciorum hanc ipsam legem Fabiam positam vides. Neq; in contrariam sententiam me trahit, quod in L. I. D. de publ. judic. nulla hujus criminis mentio fiat. Omissum videtur, quod tunc temporis origo illius Legis Fabiæ aliqua ex parte immutata fuerit, dum extra ordinem saltem exerceri consueverat. Dissentit Fr. Duaren. Comm. ad D. ad L. Fab. de plagiar. cap. I. Arnold. Corvin. aphorism. ad D. eod. tit. & dubio procul ante eum Matth. Wesembec. Paratitl. ad D. ibid. cum L. XIII. C. eod. alleget, quæ autores agnoscit Diocletian. & Maxim. Prior sententia verior, neq; refutatione digni dissentientes. Illud tamen silentio haud premeum, quod & Autor incertus sit, & nomen hujus legis dubium, quia modo Fabiam, modò Flaviam, modò Faviam leges, Jul. Pacius analys. ad Instit. tit. de publ. judic. §. X. Dionys. Gothofr. ad rubr. D. & C. ad l. Fab. de plagiar. Fabiam frequentius dici existimem, & verius, Fr. Duaren. Comm. ad D. tit. de plagiar. cap. I. Atq; ita vertit Theophilus. Ita Cicero pro Rabirio: *An de servis alienis contra Fabiam retentis, aut de civibus Romanis contra legem Porciam verberatis aut necatis plura dicenda sunt?* Azo in summa Codicis Faviam legit. Neq; antiquitatis jacturam hîc ita dolemus, quam in aliis nimium nos fecisse jure queritur Scipio Gentilis Lib. I. *παράδειγ.* c. XVII. Legem ipsam superesse gaudemus, quam inter publica judicia numerari non potest non constare ex §. X. Inst. de publ. judic. Hodie idem quoq; obtinet. Neq; enim divisionem illam delictorum in privata & publica de jure Canonino sublatam dixe-

dixerim, si fides tribuenda Petr. Theod. Disp. I. Coll. Crimin.
th. XV. Publica v. delicta vocantur, quæ specialilege con-
stituta, ut de iis publica forma accusandi, & certa pœna,
ejusq; executio cuique è populo ad accusandum idoneo
plerumq; detur: privatâ, quæ privatâ formulâ agendi
constant, nec aliqua lege publica facta sunt, §. I. Inst. de
publ. judic. L. I. D. eod. L. III. §. fin. D. de prævaricati.
tot. tit. D. de accusat. & tit. C. de his qui accusare non poss.

V. Planè cum plagium crimen publicum sit, inscri-
ptione quondam opus erat, L. III. C. ad L. Fab. de plagiar.
Wesembec. parat. ad D. eod. tit. n. III. Corvin. aphorism.
ad D. eod. quæ fiebat ad obligationem similis supplicij,
L. XVII. C. de accus. & inscript. Gothofredus pœnam ta-
lionis vocat ad d. L. lit. Q. Græcis dicitur τὸ ἀντιπρωτονδοξί.
D. Hahn. Obs. ad D. de Just. & Jur. n. XIII.

VI. Dixi, inscriptione quondam opus fuisse. Ho-
die enim vigore Constitutionis Caroli V. Criminalis reis
aliter cautam novimus, Joh. Schneidvv. Comm. ad Inst.
de suspect. tutor. in princ. D. Hahn. Obs. ad D. de accusat.
n. XII.

VII. Hujus autem criminis rei sunt, qui scientes
dolo malo liberum hominem invitum alienant. Pri-
mùm ad Cives Romanos Lex Plagij pertinuisse videtur,
deinde ad eos, qui in Italia liberti erant, postremo ad o-
mnes omnino liberæ conditionis homines, Gothofr. ad
L. I. D. ad L. Fab. de plagiar. lit. A. Alienare verò dicitur,
qui vendit, donat, permutat, vel in dotem constituit
hominem liberum, d. L. I. L. IV. D. L. XV. C. eod. Petr. Theo-
doric. Disp. IX. Colleg. Crimin. th. IIX. lit. B. Neq; enim
eodem modo vox alienationis ubivis accipitur D. Hahn,
Obs. ad D. de fund. dotal. n. V. Quod dictum hætenus
fuit, in Patre haud obtinet. Is enim urgente fame jure
distra-

distrahit liberos, nec poenam aliquam inde meretur, per
L. II. C. de patrib. qui filios suos distrax. Scilicet revoca-
vit Imp. Constantinus Legem XII. Tabularum, suâ hac
constitutione sanciens, liceret Patri propter nimiam pau-
pertatem victus causâ filium vendere, sed & filiam, quod
admodum frequens fuit, ut testantur illa verba D. Ambro-
sij in libro de Tobia: *Vendit plerumq; & pater liberos auto-
ritate generationis, sed non voce pietatis Ad auctionem pudibun-
do vultu miseros trahit, dicens, solvite filij gula mea sumptum.* Lo-
cum hunc Ambrosij Scipio Gentilis lib. I. παρέρη. c. XL.
descripsit, qui abusum hujus venditionis notare videtur.
Hugo Grotius II. de I. P. & B. c. V. n. V. morem hunc ven-
dendi liberos ex veteri Thebanorum Lege in populos a-
lios fluxisse putat. Censetur quippe ipsa Natura jus dare
ad id omne, sine quo obtineri non potest, quod ipsa im-
perat. Si tamen Pater ad pingviorem fortunam perve-
niat, compelli potest, ut filiū liberet, Schneidevv Comm.
ad Inst. de patr. potest. n. XXIX. Sed cum in dicta Lege
secunda saltem mentio fiat nimiae paupertatis, elegans
oritur quaestio: An, si pater aliâ quâdam necessitate ur-
geatur, veluti si captus ab hostibus occidendus sit, nisi cer-
tâ pecuniâ summâ hostibus solutâ, hoc quoq; casu filium
distrahere possit? Affirmat Petr. Theodoric Disput. IX.
Colleg. Crimin. th. IIX. lit. B. quaest. I. quem tamen sequi
nolim. Præterquam enim quod allegati textus nil pro-
bant, hoc tantum in L. II. C. de patrib. qui filios suos di-
strox. permittitur Patri, ut filium vendat, ubi alia ratio e-
um alendi non suppetit. Atq; ita sentiunt Gothofr. ad
d. L. lit. T. & Grotius d. loc. Malè ergo hoc ad patrem
captivum extenditur. Denique quaeri solet: Num Mater
propter nimiam paupertatem liberos vendere queat?
Nego

Nego contra D. Hahn. Obs. ad D. de his qui sui juris ibi:
distrahere. Mater enim non habet liberos in potestate,
§. X. Instit. de adopt. Christian. Liebenthal Exerc. IV. Col-
leg. Politic. qu. II. Confer D. Erasmi. Ungep. Exercit: Ju-
stin. III. qu. III. At hæc venditio est effectus Patriæ Po-
testatis, Schneidevv. d. loc. Theodoric. d. loc. qu. III. si-
cuti & jus vitæ & necis olim erat, L. XI. D. de liber. & post.
L. fin. C. de patr. potest. Johan. Bodin. L. I. de Rep. c. IV.
Confer Grotium II. de I. P. & B. c. V. n. XXIIIX. Neq; et-
tiam ad avum legem illam secundam extendit Schneide-
vvin. d. loc. licet nepos sit in ejus potestate. Sed redeo ad
propositum! Plagii reus est quis ita demum, si sciens dolo
malo liberum hominem invitum alienet. Sciens dico,
quod expressè notat Ictus Ulpianus in L. I. D. ad L. Fab.
de plagiar. Quod si sciat, liberum esse, & tamen vendat,
dolo malo egisse putatur, L. fin. §. II. D. d. rit. Regulari-
ter quidem dolum malum ex indiciis perspicuis probari
convenit, L. VI. C. de dol. mal. interdum tamen præsumi-
tur. Malum adjeci, quoniam veteres dolum etiam bo-
num dicebant, & pro solertia hoc nomen accipiebant,
maximè si adversus hostem, latronemq; quis machinare-
tur, L. I. §. III. D. eod. Vis & terror maximè quidem pro-
pria sunt bellorum, sed & dolo uti licet, Grotius III. de
I. P. & B. c. I. n. VI. VII. IIX. Deniq; ut quis crimen hoc a-
lienando incurrat, necesse est, invitum alienet. Nulla
enim est injuria, quæ in volentè fiat, L. I. §. V. D. de injur.
Mireris, repertos fuisse, qui rem inæstimabilem §. fin.
Inst. qui & ex quib. caus. manum. non possunt. L. CVI. L.
CXXII. D. de R. I. parvo æstimarunt, seq; ad pretium par-
ticipandum venundari passi sunt, ignavi atq; abjectiani-
mi homines. Modus hic est jure Civili constitutæ

B

servitutis §. IV. Inst. de jur. Personar. modò singula requi-
sita probè ponderes, Pacius analys. ad Inst. d. tit. & §. Atq;
his, qui se ita turpis lucri gratiâ venire patiuntur, in inte-
grum restitutionis beneficium denegatur, Gothofred. ad
L. V. §. I. lit. G. D. de stat. homin. Hunc civilem servitutis
constituendæ modum sustulit Imp. Leo Nov. LIX. quan-
quam non dissitear, constitutiones illas ad corrigendum
jus nostrum Justinianæum, & ad decisiones causarum ho-
die minus rectè allegari, Theodoric. Disput. VII. Colleg.
Crimin. th. VI. lit. C. post quæstion. I.

IX. Neq; ille tantum plagii rectè postulatur, qui
dicto modo alienat, sed & qui ab alienante sciens accipit
liberum hominem, eumq; summo dedecore supprimit
sive celat L. I. D. ad L. Fab. de plagiar. invitum & invinctum
L. VI. §. II. D. eod. Sicuti Cujacius alibi insciente pro sci-
ente positum contendit, ita rectè hîc INVINCTUM pro
VINCTO legitur, quod & mox repetitur, ne mendosum
putes, Scipio Gentil. lib. I. *παρεγγ.* c. XIV. Nam *IN* au-
gendæ significationi est, ut inclamare, inclytus, quem
Græci *κλυτόν* dicunt. Ita Ulpianus in L. III. pr. D. ad SC.
Silanianum: *ingravis valetudine affectus*. Quod si disjunctim,
ut Gothofredus, alique legunt, in gravi scribas, solœci-
smus fuerit, judicio Scipion. Gentil. d. loc. Hoc pacto
idem Gentilis culicis Virgiliani veterem illam scriptu-
ram tuetur:

Tendit inevectus radios Hyperionis ardor.

Et in fine:

Iret inevectus cælum super, hoc est, altè evectus.

Æquè mihi de literis, & de nobis optimè mereri viden-
tur, & qui corruptas lectiones restituunt, & qui concus-
sas, nutantesq; constituunt. Neq; tantum liber homo
emi prohibetur, sed & in stipulatū deduci nequit L. CIII.
D. de

D. de V. O. L. LXXXIII. §. V. D. cod. L. CLXXXII. D. de R.
I. §. II. Inst. de inutil. stipul. L. XIII. D. ad L. Aquil. Confer
Gothofr. ad d. L. I. lit. B. Ex dictis sequitur, quod liberi
hominis emptor non fiat locupletior, L. CXXVI. §. I. D. de
R. I. si non ignarus sit, eum esse liberum, Hieron. Ca-
gnol. ad d. L. §. I. n. II. Conf. L. LXIII. D. ad L. Falcid. Neq;
liber homo ita venditus statum mutat, L. XI. C. de plagiar.
Quod si nesciat, crimen plagii non incurrit. Excusat
quippe ignorantia facti alieni, L. fin. D. pro suo, cum et-
iam prudentissimū interpretatio alieni facti sæpius deci-
piat, L. II. D. de Jur. & fact. ignor. Recenset a Princeps Phi-
losophorum lib. II. Ethic. c. III. octo circumstantias, qua-
rum ignoratio ignorantiam facti inducit. Prima est *ἔπει-
μα*, i. e. rei quæ agitur, altera personæ illius, cum
qua nobis est negotium, tertia objecti, circa quod versa-
mur, quarta loci, quinta temporis, sexta instrumenti, se-
ptima causæ finalis, ad quam actio omnis dirigitur, & de-
niq; octava modi agendi. Neq; tamen æquum est, ut per-
petuò ignorantia facti alieni excuset, D. Hahn. Obs. ad D.
de jur. & fact. ignorant. n. III. Præterea cum objectum
usucapionis æstimari possit ex vicina materia possessionis
& dominii, D. Hahn Obs. ad D. de usurp. & usucap. n. X.
apparet in libero homine usucapionem nunquam pro-
cedere, §. I. Inst. de usucapion. Nunquam dico, Præscri-
ptiones enim inventæ sunt, ut jus creatum in alium trans-
ferant, non ut novum inducant, Schneidevv. Comm ad
Inst. d. tit. qu. quæ res præscribi poss. n. LIX. LIX. LX. De
monstris subjiciam, an illa impune plagio abducantur?
Gothofred. ad L. CXXXV. D. de V. S. lit. Q. monstrum sine
metu Legis Corneliæ interfici posse statuit. Hinc idem
videtur esse defendendū quoad Legem Fabiam. Utrumq;

ratum est, neq; Gothofredi exemplum me movere valet,
quod ex Petrarca deprompsit. Variæ aliàs monstrorum
causæ, ut videre est apud Ampros. Faræum lib. XXIV.
Oper. Chirurgicor. c. I.

IX. Hæc sufficiant de libero homine vendito, em-
pto, ac suppresso. Porro plagium tam in servo proprio,
quàm alieno committi clari juris est. Præmittam de ser-
vo alieno. Illud autem monuisse operæ pretium est, sum-
mam personarum divisionem esse, quod omnes homi-
nes aut liberi sint, aut servi, pr. Inst. de jur. person. Conf.
Pacium sub init. d. tit. Et quamvis hanc divisionem ju-
ris Gentium esse ferant (imo etiam juris Naturæ, ut sen-
tiunt Philosophi, cum quibus Jctis non malè convenit)
Germania tamen veros servos nunquam habuit, Gail. de
pignorat. obs. II. n. II. si excepias, quod sub finem secu-
li Christiani V. evenisse autor est D. Hahn. Obs. ad D. de
manum. n. I. Neque enim proprii illi homines, vulgo
Leibeigene Leute, servi sunt, nisi quoad culturam agrorum.
Manet enim ipsis patria potestas in liberos, legitima in-
judicio standi persona, rerum acquisitio, commercium,
etiam cum dominis, testamenti factio, successio, & simi-
lia. Ineptè ergo quærit Petr. Theodor. Disput. X. Colleg.
Crimin. th. II. sub lit. B: Anne adhuc hodie in Germa-
nia servi reperiantur? Hæc si attenderis, minus huic ma-
teriæ convenire videbitur, ut hodie de plagio in servis
commisso verba fiant. Verum tantum abest, ut hisce
movear, & de plagio servorum nihil agam. adhuc ho-
die materia de servitutibus personarum utilis est, adeoq;
probè addiscenda, D. Hahn. Obs. ad D. de stat. homin. n.
V. Et quis omnia utilitate, quæ se statim in usum ingerat,
metiri velit? Res suas sibi habeant ignava illa ingenia.
stilli.

fillicidiis (verba sunt Ciceronis lib. I. de LL.) & cæteris
obolaribus commodis curiosè intenta.

X. Planè qui servo alieno (idem est in ancilla)
persvadet, ut à domino fugiat, aut eum domino invito,
vel inscio suscipit, & celat, plagii crimine se contaminat,
L. VI. §. II. D. ad L. Fab. de plagiar. etiamsi vis omnis
absit. Neque hoc insolitum, persuasionem etiam
pœnæ esse obnoxiam. Pittacus graviolem pœ-
nam constituerat, si quis alienam uxorem appellans
blanditiis ad libidinem provocasset, quàm si ei vim
intulisset, quod vi adhibitâ corpus solum, blanditiis
etiam animus corrumpetur. In hunc modum Ul-
pianus: *Persuadere plus est, quàm compelli atque sibi cogi
parere*, L. I. §. III. D. de servo corrupt. & ad eam Gothofr.
lit. X. Interim non omittendum, τὸ persuadere τῶν μέ-
σων esse. Nam & bonum consilium quis dando potest
svadere, & malum. Hic in malam partem accipi clarum
fatis est. Quis enim bonum consilium dixerit, si servus
persvadeatur, ut à domino fugiat? Hoc æquè noxium
est, ac si servus domino invito vel inscio suscipiatur, & ce-
letur. Altius hæc indagari merentur. Nihil verius esse
putat Scipio Gentilis lib. I. *παρρησιᾶς*. c. XXXI. illâ Ulpiani
sententiâ: *Cogitationis pœnam nemo patitur*, L. XLIX. D. de pœn.
humanis scilicet legibus, Gothofr. ad d. l. lit. Z. Neque
huic adversantur tot leges, quibus expressè dicitur, vo-
luntatem atq; consilium in maleficijs puniri. Diversis-
sima hæc sunt, concipere scelus, & velle, h. e. deliberare,
& conari. Gravissimum omnium est crimen perduel-
lionis, quo patriam perditum ivit & ibit profligata ho-
minum sceleratorum gigantomachia. De quo quæ ad
nostrum institutum pertinet illustris est apud C. Crisp.
Salustium Catonis sententia in Catilinam, cæterosque

complices: Res a. movet inquit, cavere ab illis magis, quam quia
in illos statuamus, consultare. Nam cœtera maleficia cum persequere,
ubi facta sunt, hoc nisi provideris, ne accidat, ubi evenerit, judicia
frustra implores. Captâ urbe nihil fit reliqui victis. Pertinet
huc illud Bodini: Diligenti cuiq; Imperatori ac Magistratui dan-
da est opera, ut non tam seditiones tollere, quam præoccupare stude-
ant. Nam seditio semel accensa, quasi scintilla impetu populari re-
pente agitur, ac totam urbem prius inflammare solet, quam restin-
gui possit, IV. de Rep. VII. Apparet hinc, non cogitatio-
nem delendæ Patriæ puniri, sed consilia, conatus, atque
impetus expressos jam, & quasi foras prominentes. Idem
verò quod de Patria, etiam de Patre Patriæ dici potest, &
debet. Sed non perinde tamen animos afficit Patriæ, &
ejus Parentis vindicata salus. Hinc illud, quod, si cujus
sit nescias, sapientis putes: Miserrima est conditio Principum,
quibus de conjuratione aperta non creditur, nisi occisis, Petrarch.
III. rer. memor. tr. II. c. V. Autorem hujus effati cur opti-
mum Imperatorem dicat Scipio Gentilis, non satis perci-
pio, nisi fortean alium intendit, præter Domitianum, quæ
Beneventus de Rambaldi in libello suo Augustali Vir-
tutum hostem nuncupat. Aliter Lipsius de optimo prin-
cipe: Duo sunt, quæ legitimum & numeris suis absolutum Principem
faciunt, PRUDENTIA & VIRTUS, lib. II. Civ. doctr. cap.
VII. Consentit Marsil. Patavin. in defensore Pacis ad Lu-
dovicum Imper. part. I. c. XIV. Sed ut ad pœnam cogi-
tationis redeam, ejusmodi in jure nostro non reperitur,
quicquid sentiat Andius sine bono (anagramma hoc est
Cujacii XIX. obs. XXXIX.) lib. II. de Rep. c. V. n. CCX.
cui respondet Petr. Theodoric. Disp. V. Colleg. Crimin.
th. I. lit. D. Nec judicium nostrum suspendit L. V. pr. ibi:
cogitaverit, C. ad L. Jul. Maj. Lex enim agit de conju-
ratione, quæ cum ad minimum duos requirat (secum na-
quis

quis conspirare nequit) per naturam intra nudos cogitationis limites consistere nequit. Non tamen diffiteor, Leges etiam mentis & cordis requirere *εὐταξία*, D. Hahn. Obs. ad D. de J. & J. n. IV. quamvis inordinatos motus penetrare nequeat, adeoq; poenam illis statuere. Voluntas tamen poenae subjacet exterius ad facinus progressa, uti in nostro casu in eo evenit, qui servo alieno svadet, ut à Domino fugiat. Uti ergo facto in homine libero, ita hic voluntati circa servum corrumpendum poena dicitur. Semper enim qui alteri peccandi causam dat, peccat & ipse, Grot. III. de I. P. & B. c. I. n. XXI. De facto non est dubium, quin illud poenam mereatur, ut si quis domino dominave invitis vel insciis servum suscipiat, celetq;, L. VI. §. II. D. ad L. Fab. de plagiar.

XI. In servo quoque proprio plagium committitur, si in fuga constitutus vendatur, non si absit, L. II. pr. D. L. VI. C. de plagiar. Ratione utitur Duarenus Comm. ad D. eod. tit. c. II. de prompta ex L. XVII. §. X. D. de edil. edict. quod species cujusdam libertatis sit fugisse, & à potestate dominica in praesenti liberatum esse. Quod attinet defensionem rei hoc crimine ob servum alienum cōventi, quaestionem Domini referre potest, L. IIX. L. XIV. C. de plagiar. Potest etiam objicere bonae fidei possessionem L. III. D. d. tit. vel justam aliquam ignorantiae causam, quia Lex scientem & dolosum modo punit, L. VI. §. II. D. eod. Unde fit, ut ob probabilem errorem reus criminis absolvatur, Duaren. d. loc. Insuper quoddam, quasi plagium est, quod in transcribendis aliorum scriptis & laboribus committitur, quos quis pro suis vendit, de quo post alios à se allegatos tractat Everh. Speckhan, cent. I. quaest. LXXXIIX. Meminit hujus quasi plagii

Plagij D. Wilhelmus Ludvvel Disputat. fin. ad Inst. thes.
IX. lit. F.

XII. Quæ de homine libero jam ante proposui, dubio involvuntur per §. IX. Instit. de Obl. quæ ex delict. nasc. Perhibetur enim, liberorum hominum furtum fieri, veluti si quis liberos in sacris Parentum positos surripuerit. Dixeris, plagium esse speciem furti cum D. Bened. Carpzovio part. II. pract. nov. rer. crimin. quæst. LXXXIII. n. LXXXV. Magis ea placent, quæ Jul. Pacius habet in analys. Instit. ad d. §. IX: *Ob liberum hominem, vel servum alienum subreptum (Vide L. VI. pr. D. de plagiar.) non solum competit privata actio furti, sed etiam publica accusatio de plagio ex L. Fabia de plagiaris. Sed ut furtum fieri dicatur, opus est, ut lucrandi animo fiat, & ut plagium committi dicatur, opus est, ut celandi animo fiat. Quare contingere potest, ut simul sit plagium, & furtum, vel tantum plagium, vel tantum furtum. Conf. D. Ludvvel. d. loc. Hæc omne dubium dissolvunt. Interim conferre licet Joh Borcholt. Comm. ad Inst. d. tit. & §. Schneidvv. Comm. ad Instit. ibid. D. Carpzov. d. loc. n. LXXXVI. De furto hoc annectam, quod per novam Caroli V. Constitutionem non sit factum publici judicii, Petr. Theodor. Disp. I. Colleg. Crimin. th. XII.*

XIII. Deniq; concursus actionis furti cum crimine plagii, cujus Pacius supra meminit, hoc caput claudet & consignabit. Difficilis locus est de furti actione, Legisq; Fabiæ Constitutione in L. un. C. quando civil. act. crim. præjudic. De hoc ita Cujacus lib. XX. obs. XXVI: *Conferretur actio furti cum crimine ex Lege Fabia de plagiaris. At dices, non potest concurrere actio furti cum crimine plagii, quia plagium sine furto fit l. 10. C. de furt. l. 6. D. ad l. Fab. de plagiar. & melius conferretur cum eo crimine actio servi corrupti, vel interdictum de libere homine exhibendo. (Vid. Schneidvv. Comm. ad Instit. de inter-*

interdict. §. I. n. LXXIIX.) *Contra dicam* (pergit Cujacius) cum actione servi corrupti concurrere etiam actionem furti, vel ratione rerum domini, quas fugitivus pertulit ad plagiarium l. ii. §. 2. D. de serv. corrupt. l. 12. C. ad l. Fab. de plagiar. vel quia etiam is, qui fugitivum celat, fur est l. 1. D. de fugitiv. l. 36. §. 3. D. de furt. quod etiam bellè confirmat l. 52. §. 12. D. eod. Hac ratione fit, ut actio furti concurrat cum crimine plagij, nec altero iudicio alteri prejudicetur, hoc est, ut sive Civili, sive Criminali prius actum sit, nihilominus iudicatum altero iudicio retractetur, per d. l. 1. C. quando civil. actio crimin. prejudic. Atq; sic accipienda erunt verba l. 23. §. 9. D. ad l. Aquil. Hucusq; Cujacius? Nunc ut de pœna plagij tractem ratio ordinis exposcit.

CAPUT III.

De pœna Plagij Jure divino, Civili, Canonico, & Saxonico.

- | | | |
|---|---|---|
| I. Pœnis & premiis in Republ. opus est. | } | no Veteris Testamenti. |
| II. Unde dicatur pœna, & quid sit? | | V. An ea etiam obtineat in Novo Testamento. |
| III. An pœna esse possit citra legem pœnalem? | | VI. Pœna plagij de Jure Civili. |
| IV. Pœna plagij de Jure Divi- | | VII. De Jure Canonico. |
| | | VIII. De Jure Saxonico. |

I. Egregiè Ulpianus: Bonos non solum metu pœnarum, verum etiam premiorum exhortatione efficere cupimus. L. I. §. I. D. de J & J. Hinc duo lumina, cuncta gubernantia, premia & pœnas Solon statuebat, ut & Democritus, Henning. Arnif. lib. I. Relection. Politic. c. I. sect III n XI. Ratione Philosophi nos instruunt, quod homines duobus maxime afficiantur, voluptate, & dolore. Igitur ex una parte alliciendi sunt premiis, ex altera suppliciis terrendi.

C

Singu-

Singulare est, quod de poenis scripsit Cyprianus II. ad Donatum: *Ad hominis corpus unum plura supplicia sunt, quam membra.*

II. Et quidem præmia suo loco relinquens, de poena hic agam, quam à puniendo, vel à poenitendo, quod peccatum sequatur, Varro derivat Lib. IV. Ling. Latina. Generali significato definit eam Grotius *malum passionis quod infligitur ob malum actionis*, II. de J. P. & B. c. XX. n. I. Ulpiano poena est noxæ vindicta, L. CXXXI. D. de V. S. Vid. Petr. Theodor. Disp. X. Colleg. Crimin. th. I. Poenarum divisionem Wesembecius exhibet Paratit. ad D. de poen. cui jungi potest D. Hahn. ibid. Theodoric. d. loc. th. II. De subjecto poenarum gravior Disputatio est. Bruta perraro puniri existimat Wesembec. d. l. n. VI. quod affectu delinquendi, & dolo careant. Treutlerus quoq; liberiori stylo ad bruta irrogationem poenarum extendit, Vol. I. Disp. III. th. V. lit. B. Uterq; non absq; vitio. Subjectum enim poenarum tantum sunt homines noxij, hoc est, qui deliquerunt. Quod autem interdum etiam in animalia, ut & cadavera delinquentium, animadvertatur, non ideo fit, ut puniantur, sed ut exemplo alij deterreantur, atq; memoria criminis penitus deleatur, D. Hahn. obs. ad D. de poen. n. VI. Accedit huic sententia Grotius: *Quia in bestias propriè delictum non cadit, ubi bestia occiditur, ut lege Mosis ob concubitum cum homine, (Vide hic Ambros. Paræum lib. XXIV. Oper. Chirurgic. c. XII.) non ea verè poena est, sed usus domini humani in bestiam*, II. de I. P. & B. c. XXI. n. XI. Confer eundem lib. II. c. XIX. n. V. And. Gail. II. obs. CX. n. XXII. Petr. Theodor. Disp. X. Colleg. Crimin. th. III. lit. B.

III. Hoc notandum est, ante legem quoq; poenalem constitutam poenæ locum esse posse, quia naturaliter qui

qui deliquit in eo statu est, ut puniri licitè possit, Grot. II. de I. P. & B. c. XX. n. XXII. Caterum ne quid mitius vel acerbius in delinquentes statuatur, delictis fere singulis & criminibus certæ præstitutæ sunt poenæ, tam jure Divino, quàm Humano. Poenæ enim æstimatio multum prudentiæ & æquitatis desiderat.

IV. Crimen plagii quod attinet, vel mediocriter in Scriptura sacra versato non potest non constare illius poena. Mortis quippe supplicium irrogari jubetur plagiario Deut. XXIV. v. VII. hominem surreptum vel vendenti, vel oppignoranti. Optimè hæc conjunguntur. Quod enim emptionem venditionemq; recipit, etiam pignorationem recipere potest, L. IX. §. I. D. de pignorib. & hypothec. Gothofr. ibid. lit S. ut & ad L. I. D. ad L. Fab. de plagiar. lit. B. Idem habetur Ex. XXI. v. XVI. Leoni Imp. hæc poena nimis rigida visa fuit Nov. LXVI. Complures profecto censeas Legum absurditates, quod rationem, quâ motus fuit, non teneas latoris, neq; causam intelligas cujusq; sanctionis, Plutarch. de tarda Dei viudicta.

V. Sed quæritur: An lex Evangelica eandem poenam adhuc hodie plagiario inferri velit? Non loquor hîc de poena, quæ privato, sed quæ publico bono consulit, partim tollendo & coërcendo nocentem, ne cui ulterius noceat, partim deterrendo alios severitate exempli. Ejusmodi leges à Christo minimè sublatas censuerim, certissimo argumento, quod cum sua daret præcepta, simul testatus sit, se nihil legis tollere, Grotius II. de I. P. & B. c. XX. n. X. Quod si ergo Christi præcepta cum lege Mosis consistere possunt, quatenus supplicia etiam capitalia irrogat, possunt & cum humanis legibus, divinam hac in parte justitiam imitantibus, consistere. Unicum exem-
plum

plam hinc instar omnium erit. Sodomiam exercentes, quæ etiam in feminis locum habet, humanis legibus igne absumuntur, quæ poena vel ideo delicti hujus atrocitati convenit, quod Sodomam, & Gomorrhæ, urbes præ cæteris hoc scelere pollutas, ignis cœlitus delapsus deleverit Theodor. Disp. VI. Colleg. Crimin. th. V. lit. L.

VI. Humanæ quidem leges variarunt circa poenam plagiariis infligendam, testibus Gothofredo ad L. fin. D. de plagiar. lit. P. Duaren. Côm. ad D. cod. tit. c. IV. Thom. Lindemanno Exercit. ult. Justin. th. LXVI. Wesembecio Paratitl. ad D. de plagiar. n. IV. Theodorico Disp. IX. Colleg. Crimin. thes. IIX. lit. E. Ex constitutione tamen Imp. Constantini gladio consumuntur plagiarii, L. fin. C. de plagiar. Neq; enim Germania nostra servos, aut libertate donatos novit, ut illi criminis hujus convicti bestiis subjiciantur. De damnatione ad bestias agit Petr. Theodor. Disp. X. Colleg. Crimin. th. II. sub lit. B. Id notes velim circa d. L. ult. quod rectè legatur tenebantur, non teneantur. Correctionem hanc Johanni Tilio acceptam tulit Francis. Duaren. Lib. II. Disp. anniversar. c. XX. Alciatum aliàs hæc Lex maximè torfit, cum posterior pars legis priori repugnare videatur, nisi correctionem memoratam amplectaris.

VII. De Jure quoq; Canonico ultimum supplicium plagiarium manere videtur per cap. I. de furt. Theodor. Disp. IX. Colleg. crimin. th. IIX. lit. E. Consule de hoc jure D. Dieteric. Reinking lib. II. de R. S. & E. cl. II. c. VII.

IX. Quid de Jure Saxonico obtineat, exemplo plagiarij illius audacissimi Cunradi Kaufungii perspicuum evadit. Laudat quidem in milite Bartholomæus Chassaneus part. IX. Catal. gloriæ mundi confid. XXIX.

auda-

audaciam, sed ut eam erga hostes exferat, non erga Do-
minum, opus est, aliàs in extremam perniciem inclina-
turam. Res hæc altius repetenda erit! FRIDERICUS II.
Electoꝝ Saxonie, cognomento Placidus, bello infestabat
Fratrem Wilhelmum, cum de hæreditate eriscunda cõ-
troversia extitisset, donec res transactione amicã compo-
neretur. Durante bello captus est Cunradus à Kaufung,
tribunus militum, qui cum seipsum redemisset, neq; ab
Electoꝝ refundere pretium, iniquo id tulisse fertur
animo. Motus hinc minas evomere non erubuit, eam
ob causam proscriptus. Sed nequaquam territus minas
ante effusas plagio insigni confirmavit. Duos enim Fi-
lios FRIDERICI II. ERNESTUM, qui erat XIV. anno-
rum, & ALBERTUM duodecennem ex arce Altenburgi-
ca clam abduxit (Joh. Micræl. Lib. III. Syntagm. histor.
mund. sect. XII. sub Electoꝝ Saxonie) plagiarus ab
ortu Orbis & Urbis famosissimus. Accidit hoc ante CC.
annos. Quanquam enim non desint, qui plagium hoc
referunt ad annum Christi M CCCC LIV. teste Theodor.
Disp. IX. Colleg. Crim. th. IIX. lit. E. verius tamen est id ac-
cidisse Anno M CCCC LV. si fidem ea faciunt, quæ me-
mora Petr. Heigius part. II. quæst. Jur. Civ. & Saxon. qu.
XXII. & post eum D. Carpzovius part. II. practic. nov. rer.
criminal. qu. LXXXIII. rerum Saxonicarum peritissimi.
In hoc facinore deprehensus Kaufungius à carbonario
quodam, Freibergæ eodem anno meruit supplicium. Ju-
re huc refero Bodini verba: *Pœnas momento irrogari jubebit
Princeps, ut dolorem minus sentiant, qui plectuntur. Nam cum
pœnarum quamplurimæ sint utilitates, earum tamen minima est, quæ
peccati dolorem facit, ut scilicet melior fiat, quod in extremo suppli-
cio fieri non potest, V. de Rep. IV. Neq; tantum ipsi plagia-
ri puniendi sunt, sed & socii hujus criminis, L. VI. in fin.*

D ad L. Fab. de plagiar. puta qui operam & auxilium præ-
stitere, D. Carpzov. d. loc. n. XCIII. XCIV. Hinc non modò
Kaufungio caput fuit amputatum, sed & coquus proditor,
nomine **Schwalbe**/ Cygneæ membratim in partes fuit
dissectus (quod Homero *μελεῖσι διατμηεῖν*) Joh. Schwe-
nitz suspendio vitam finijt, Theodoric. Disput. IX Colleg.
crimin. th. IIX. lit. E. Adeo plagiarus ille brevi tempo-
ris spatio interjecto & hostium, & legum potitus est. Ho-
stium potiri dicitur pater in L. XI. pr. D. de capt. & postlim.
revers. quod quid sit nō intellexisse Budæum testis est Sci-
pio Gentilis lib. I. *παρέργων* c. XLII. Non minus frequens
apud JCtos veteres ille dicendi modus fuisse videtur, ser-
vitudinis potiri, quod idem est, ac in servitutum atque
in hostium manus incidere. Anceps tamen phra-
sis est, & tam ad bonam, quam ad malam fortunam
referri docilis. Quà in re deceptus fuit Callistratus,
cui oraculum de suo exilio sciscitanti Apollo respon-
derat his verbis, uti est apud Lycurgum in Oratione
contra Leocratem, sceleris in Patriam reum: *ὅτι ἂν ἔλ-
θῃ ἀθήνας τὸ πύξεται τῶν νόμων*, h. e. fore, si Athenas veniret,
ut legum potiretur. Huc cum venisset, quod erat antea
capitis damnatus, meritas pœnas non effugit. *τὸ γὰρ τῶν
νόμων τις ἀδικηκῶσι τυχεῖν* (inquit Lycurgus) *ἡμωρία ἐστὶ*, nam
injustis legum potiri pœna est. Quod Justinian. Imp. in
Nov. LXXXIII. ita effert, *ὑπὸ τῶν νόμων γίνεσθαι χεῖρας*,
i. e. sub legum fieri manu, in legum potestate esse. Ita
dicere solemus, quod in Criminalibus Lex concludat, ut
accusatoris conclusione opus haud sit, Gail. I. obs. LXI. n.
XIX. Dn. Praeses Disp. IV, Treutl. th. XI. sub adjunct. IV. Sed
ne nimium excrecant paginae, Kaufungium & hostium
& legum potitum esse dico. Ab hostibus liberari voluit
solutum

foluto pretio (id enim inter Christianos mansit, H. Grot. III. de I. P. & B. c. VII. n. IX.) sed nihil eum à pœna plagii liberare potuit. Interim videre animus est, quid pro liberatione allegaverit, aut allegare potuerit.

CAPUT IV.

De contrarijs, per quæ reus absolvitur pœnæ plagij.

- | | |
|--|---|
| I. Varijs modis extinguitur pœna plagij. | IV. An jure redemptionis suæ pretium ab Electore petijæ Kaufungius? |
| II. Nonnulli verò omni fundamento destituuntur. | |
| III. An sufficiat, si quis se ultimum supplicium meritum esse neget? | |

I. Varia sunt, quibus adstrictis tanto scelere operam ferri videmus, ut pœnam plagij effugiant. Extinguitur crimen plagij, & cum eo pœna I. Morte rei, L. VI. D. de publ. judic. L. XV. §. III. D. ad SC. Turpill. L. II. L. III. C. si reus vel accus. mort. fuerit. Morte enim reus eximitur foro Judicis, & sistitur foro Dei. Non tamen exceptionibus destituitur hæc regula, quas Theoric. Disp. X. Colleg. Crim. th. VII. lit. A. congescit. II. Restitutione, & indulgentiâ Principis plagij pœna evitatur. Hæc enim invicem differunt, Pacius ad §. I. Inst. quib. mod. jus potest. solvit. Porro restitutio non solum fit à Principe, sed & à Lege, D. Hahn. Obs. ad D. de sentent. pass. & restit. n. II. Hoc casu restitutus bona tertio quæ sita recuperat, cum illa restitutio juris sit, adeoq; plenissima. Illam quod concernit, etiam si L. X. & tot. tit. C. de sentent. pass. de supremo tantum Principe loquatur, hodie tamen omnibus Imperij Principibus & Statibus idem jus est, Maxim. Faust ab Aschaffenburg in consil. pro ærar. cl. I. conf. XLVI. ord.

CXXXV.

CXXXV. modò limites haud excedant, D. Hahn. d. loc. n.
III. D. Joach. Schnobel. Disp. XXIV. ad D. §. XXVII. Sed
an etiam Magistratus in Civitatibus mero mixtoq; Im-
perio decorati poenæ capitalis à lege impositæ delinquen-
quentibus gratiam facere possunt? Negat Henric. Bru-
ning. de variis universit. specieb. & jurib. th. XXIIIX. Con-
fer Theodor. d. loc. lit. B. Id notandum, geminatum
delictum veniã carere L. III. C. de episcop. audient. III. Ex-
pirat plagii poena abolitione, IV. præscriptione XX anno-
rum, V. novo summi Principis in urbem aut provinciam
introitu, & occurso facinoroso, dum ad supplicium duci-
tur, facto, Theodor. d. Disp. X th. VII. Subjicit D. Schno-
belius modis hisce tollendi poenam sententiam absoluto-
riam ex L. VII. §. II. D. de accusat. cap. VI. extr. eod. & trans-
actionem, adhibitã distinctione L. XIX. C. de transact. Ad
explicationem hujus Legis conferent ea, quæ Andr. Fa-
chin. Lib. I. Controv. Jur. c. IIX. IX. egregiè disputat. Junge
Hahn. obs. ad D. de transaction. n. VI. ubi inter alia hisce
verbis utitur: *Cum transactiones hujusmodi sæpius impedimento
sint Jutdci in delictorum punitionibus, generaliter prohiberi possunt
omnes in scio Magistratu ne fiant.* Hos singulos abolendi cri-
minis tollendæq; poenæ modos si mente agitaveris, nul-
lus eorum Kaufungiano plagio elidendo unquam appli-
cari potuit. Indulgentiam, vel restitutionem Principis
nõ merebatur, qui quod in Principibus Imperij tanto sce-
lere ausus erat, in subditis impune sibi licere existimasset.
II. Allegari quidem solent adhuc aliæ extingvendæ
poenæ plagij, aliorumq; criminum, causæ, sed madidis &
natantibus rationibus suffultæ. Spectat huc compensa-
tio, animadversio in innocentem facta, uti & meretricis,
vel etiam honestæ puellæ condemnatum in matrimoniũ
peten-

petentis intercessio. Quid si poeniteat reum admissi plagij? Nil juvat poenitentia post admissum scelus ad impetrandam impunitatem. Quivis enim impune malefacta sualaturus esset, si poenitentiam quovis modo profiteri sufficeret. Deus ipse non semper poenitentiam ductis remittit poenam, quod vel Davidis exemplo apparet.

III. Ejusdem farinae est, quod de Kaufungio memorat Petrus Albinus: *Es soll sich Cuntz sehr entschuldiget haben, er hätte daß leben nicht verbüret, und könnte mit recht nicht Gerichtet werden, und ob man ihm gleich fürgehaltē, er wäre ein Plagiarius, hatt man ihn doch nicht überreden können*, Chron. Misn. part. I. c. XXI. Inepta excusatio, quā poenā plagij evitare conatus est plagiarius. Inter ea, quæ Natura ipsa dicitur licita esse, & non iniqua, est & hoc, ut qui malè fecit, malè ferat. Hinc etiam ignorantiam illā juris nil profecit. Existimant quidē Legislatores arma magis, quàm jura scire milites, L. XXII. pr. C. de jur. delib. L. IX. §. I. D. de jur. & fact. ignorant. L. I. C. eod. sed hæc ignorantia in delictis, quæ publicam vindictam requirunt, illos minimè excusat. Hac ratione motus H. Grotius, milites obnoxios esse poenæ ait, si vel in bello pudicitiam foeminarum vi læserint, Virginesq; signatas reddiderint, III. de I. P. & B. c. IV. n. XIX. Quamvis enim hujusmodi violatio pudicitiae in bello non rarò fiat ex justo Dei judicio, Augustin. lib. I. de Civit. Dei c. XXIX. milites tamen inde non excusantur. Eleganter Bartholomæus Chassanæus part. IX. Catal. gloriæ mundi confid. XXXIII: *Laudantur milites in castitate, quoniam casti esse debent. Inde stationes militum dicuntur castra à castrando, quasi castrata, vel casta, quod ibi castrari debet libido, & caste ibi vivebant milites antiqui, considerantes castitatem secum habere fortitudinem annexam, quam servarunt semper, ut pupillam oculi, juxta illud Poëticum in Georgicis:*

Sed non ulla magis vires industria firmat,

Quàm venerem, & cæci stimulos avertere amoris.

Imo ut ad id redeam, unde digressus sum, absurdè quisquam

D

dixe-

dixerit, hunc militem esse, ac militaribus gaudere privilegijs, qui ignominie causâ jam ante missus L. XXVI. D. de testam. milit. stylum proscriptionis incurrit. Forsitan nobilitatem suam ostentavit Kaufungius, cujus intuitu poenas nonnulli mitigari contendunt. Profecto nihil praesidii conferre potuit nobilitas in crimine hoc enormi, uti colliges ex iis, quæ Josias Nolden de statu nobil. civil. eorumque, privilegijs cap. XII. §. I. congregavit. Coeterum non diffiteor, judicem sapius errore, aut falso testimonio persuasum, vel pecuniâ corruptum, aut etiam odio accusati iniquè condemnare. Quod si hoc casu injustè gravatus ad Dei tribunal appellet, & Judicem iniquum ad vallem Josaphat citet, superstitionis nescia est illa appellatio; ut tradunt Johan. Nordermann. de jur. Principat. th. LI. Theodoric. Disp. X. Coll. Crim. th. V. lit. D. Christian. Liebenthal Exerc. XII. Col. leg. Polit. q. XI.

IV. Hoc superest, quod ad plagium permovit Kaufungium, nimirum denegata ab Electore ἔ λύτρεσ refusio. Sed quàm justè hanc petierit, tam accuratè explicuit Petr. Heigius, ut post illum mihi modestius sit tacere. Summa est, eum petiisse, quod nullo jure debebatur. De Romanis Bodinus: *Cum infinita sint Romanae virtutis ac fortitudinis exempla, cum verò nullum praclarior est ad muniendos & confirmandos civium animos adversus hostium metum, quàm quod à Senatu decretum est, ne captivorum octo millia, quæ cladi Cannensi superfuerant, ullo pretio redimerentur, ut omnes intelligerent, aut vincendum, aut hosti misere serviendum esse, quâ quidem re Annibal sic animo fractus est & perterritus, ut deinceps de Romanis victoriam nullam se laturum desperaret* V. de Rep. c. V. De famulis scribit Steph. Gvazzus Lib. III. de Civili conversat. quod præter salarium honorarium sperent. Fallor an eadem spe Kaufungius sibi vanè blanditus fuerit. Castiganda illa importunitas hominum, qui quamvis sibi debita acceperint, ulteriora adhuc expectant, quibus non impetratis indignantur, & factam sibi putant injuriam.

Adeo.

Adeo accipere plus potuisse injuriæ loco est. Eleganter Quintilianus declamat. quintâ: *Iniquissima magnorum conditio meritorum est, si quidquid non fuerit adjectum, de prioribus perit, & pessimo exemplo gratiâ præteritis auferunt reliqua cessantia.* Alludunt istis Velleji Patreculi verba de percussoribus Cæsaris l. II. c. LVI: *Interemptus est Idibus Martiis conjurationis autoribus Bruto & Cassio; quorum alterum promittendo Consulatum non obligaverat, contra differendo Cassium offenderat Poena non defuit.* Percussorum enim fere neq; triennio quisquam amplius supervixit, neq; suâ morte defunctus est, C. Sveton. in Cæsar. c. LXXXIX. Confer Jac. Zevcotii Observat. Polit. ad Svetonii Cæsar. Fortean Kaufungius captivitatem suam Principi imputavit. Iniquissima sanè bellorum conditio, quod adversa Principi imputentur, Tacit. in vita Jul. Agricol. Imo & alias omnes adversitates Principi imputari solent, uti Jan. Gruter. in Discurs. supra Tacit multorum exemplis declaravit. Præter Heigium part. II. qv. Jur. Civ. & Saxon. qv. XXXII. de redemptione captivorum consulendi erunt Grotius III. de J. P. & B. cap. XXI. Alberic. Gentil. II. de J. B. cap. XV.

CAPUT V.

Conclusio cum monitis ad subditos Principum.

- I. *Fides à subditis requiritur, & obsequium.*
- II. *Hisce mediis sibi conciliant amorem Principum.*

I. Atq; hîc finire me posse arbitror, non quod omnia dicta sint, quæ dici poterant, sed quod dictum satis sit pro ratione instituti mei. Converto me ad subditos, quos moneo, ne PRINCIPES suos, quos instar Patrum PLACIDOS nacti sūt, timeant, sed PRO PRINCIPIBUS. Varia impendent Procerū Familiis pericula.

QK 76 1449

pericula, variæ conjurationes, plagæ, parricidia, veneficia, quæ,
si fides subditorum haud vacillet, Principes nihili æstimant. At
si subditos maleferiatos patiuntur, quidvis perfidè tentantes
contra suam, suorumq; salutem, dolorem ingentem necesse est
concupiant, & ad vindictam provolent. Caveant igitur subdi-
ti, ne qua durioris imperij culpa sint. Verè Alexander M. apud
Curtium lib. IIX: REGUM, DUCUMQUE CLEMENTIA NON
IN IPSORUM MODO, SED IN ILLORUM, QVI PARENT, INGE-
NIIS SITA EST. Cum apibus sanè (de quarum Republica ex-
tat tractatus Joh. Loccenii) melius actum iri arbitrer, si blandi-
ri, & admittere eos, à quibus aluntur & foventur, quàm infestis
petere aculeis mallent. Nunc has castigant fumo, equos lasci-
vientes, & rebelles canes collaribus & franis trahunt invitos,
cum volentes duci nolint, Plutarch. in præcept. Polit. Ita præter
fidem obsequio mitigantur imperia!

II. Summa: Fides & obsequium subditis benivolentiam
Principum conciliant, & amorem, quem vix exæquet amor Pa-
rentum erga liberos. Orbitatis Alexandri cap. I. memini, quæ
illum contemptui exponebat. Idem tamen eodem libro sexto
statim subjicit: IN VOBIS (SUBDITI) LIBEROS, PARENTES,
CONSANGINEOS HABEO. VOBIS SALVIS ORBUS ESSE NON
POSSUM. Huc allusit Thomas Morus eleganti epigrammate;

*Princeps pius nunquam carebit liberis,
Totius est regni Pater.
Princeps abundat ergo felicissimus
Tot liberis, quot civibus.*

Imo quo tutior Princeps fuerit, eò securiores fore subditos no-
vimus. Inscribat hæc Deus (qui solus hoc potest) cordibus sub-
ditorum, & exsurgat mutuus inter PRINCIPES & SUBDITOS
amor, neq; opus unquam erit horrendis subditorum suppliciis!

PRINCEPS JUSTUS PATER EST
PATRIÆ!

MC



quæ,
nt. At
antes
te est
ubdi-
apud
NON
NGE-
ca ex-
landi-
nifestis
lasci-
vitos,
orater
ntiam
or Pa-
ni, quæ
o sexto
NTES,
NON
mate;

tos no-
us sub-
DITOS
pliciiis!

V017





QK.16,14.

PLA

ANNO

Indultu

DN. G
Jcti, & Ant
Celeberrimi, C
Consistorij

Patro

JOHAN

Typ

Vc
1449

AU.

SSO

ltatis

VEVI,
ebergensi
Scabinatus,
fatia

HA.

